

XXIII.

RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
AD EXEQUIAS
DOMINI
JOHANNIS
PEILICKII,

In Jure Utroque Doctoris, in Consistorio Ele-
ctorali ac Ducali Advocati Ordinarii, Senatoris
ac Ædilis in hac Urbe, Viri Nobilissimi ac
Prudentissimi,

Post sacra publica pomeridiana hodie XXIV. Aug. clō Is cccv.

frequentandas

Cives suos invitat.



Biogr. erud.

D. 222,32.-

Vitt. Erud. sing. - Vol. 0-9



Uperiore mense Julio ex rebus humanis excessit septuagenarius, Serenissimus Dominus, Johannes Adolphus, Dux Holsatus Ploenensis, ante hac Belgii Fœderati in bello contra Gallos Archistrategus, Heros avi nostri inclutus. Huic mortis suæ propinquæ indicium singulare contigit. In profectioe enim Princeps bonus ad lustrandas præfecturas Ducatus pernoctans Stockfleti, in somno vidit tres Viros senes sibi occurrere: primus librum exhibens de præparatione ad mortem ipsum mœnuir; alter duas rosas pallentes obtulit, tertius clepsammum pene elapsum ostendit. Quod visum somnum ejus mox abrupit. Intelligens autem facile quid hoc esset, sequenti die Ruhelebam se transferri juslit. Ibi Librum Scripturarum Sacrarum revolvens, fidem suam, quam semper habuit, roboravit, se per mortem Jesu Christi Filii DEI, propitium in cœlo Patrem habere, atque in hac gratia decedentem mox beatum fore: in pallentibus rosis celsitudinis, potentia ac felicitatis suæ gloriam caducam intuitus, eam se parvi pendere significavit præcipiendo, sine pompa exuvias suas sepeliri, nec musicum concentum suæ mortis causa in templis intermitteri. Horologium labi videns, aut sonare audiens, hoc ultimum vitæ momentum, ad animam DEO reddendam paratissimus putavit. Itaque post paucorum dierum ægritudinem placidissime expiravit. Illam a Divina Gratia significationem fuisse, dubitare non permittit singularis amor, quo DEUS suos complectitur, cujusque indicia peculiaria, quibus vult, aliquando facit. Christianus III. Rex Daniæ, paucis ante discessum ex hac vita diebus, Virum ad se venire vidit, alba veste amictum, audivitque dicere, bono sis animo, Calendis Januariis morbo finito melius habebis. Id, quod sibi acciderat, Medico narravit. Et hic quidem somnium fuisse dixit: sed Rex rem ita gestam omnino asseveravit. Quam ob causam intimato die conjugem liberos, aulicos ad se vocavit, eos gratiæ divinæ commendavit, & vesperi beate expiravit. Observasse hæc scriptoque consignasse M. Selneccerum, testatur Sigismundus Gerlachius, Pastor Wormatiensis, in Suspiriis Sanctis Sanctorum pag. 61. Johannes Guilelmus Dux Saxonæ, Joannis Frederici I. Filius, vidit chorum pulcherrimum Angelorum in aream Arcis Ducalis ingredi, vocibus ac instrumentis Musicis concinentium suavissime. Discedentium unus Principi tergum obvertit, cui inscripta fuerunt verba: Hunc adducite mihi in quietem. Post quam visionem die octavo ille ex hac vita in cœlum migravit. Ex M. Jacobo Baumeistero in Apoc. III. Ecce venio cito, Gerlachius p. 92. qui plura exempla

exempla hujusmodi collegit. D. Henricus Müllerus, Theologus, qui non solum
 Rostochienſes ſuos ſuavi eloquio docuit, ſed & libris ſuis, culturam pietatis promo-
 ventibus, multos ſalubriter adhuc hodie inſtruit, in ſpiritali Gratiſtudinis Ara p. 470.
 refert ægrotantem morti propinquum, cui obdormiſcenti obverſati fuerint quatuor
 Angeli ad lectum ſtantes, duo ad dextram, duo ad ſiniſtram. Unus ſudarium manu
 geſtans moribundo lacrymas abſterſit, dicens: Abſterget. Lacrymas ſat multas fudi-
 ſti, nunc Chriſtus omnes eas ab oculis tuis deterget. Alter porrigens palmam ac-
 clamavit: Vicisti. Tertius coronam ſuper capite ejus tenuit addita voce: Coro-
 naberis: mox quartus oculos ei clauſit, dicens: Vidisti. Hoc lætiſſimum ſibi ſomni-
 um narravit ægrotus, & paulo poſt mortuus eſt. Quamvis autem DEUS eam ſin-
 gularem gratiam non omnibus piis præſtet, exhibet tamen nonnullis, ut exinde ſo-
 latium alii capiant: multis vero moribundis aliquam impertire, quam ipſi non e-
 loquuntur, haut obſcura exiſtunt indicia. Omnium piorum ægrotantium infirmi-
 tatibus ſuccurrit Spiritus Sanctus, pro ipſis gemitibus inenarrabilibus intercedens,
 ut omnes tentationes vincant, & morientes finem fidei vitæ æternam confequan-
 tur. Et cum adverſa etiam omnia, quantacunque obveniunt, iis, qui ſunt in Chri-
 ſto Jeſu, commodent, gratiam DEI ex illis eluceſcere, recte expendentes, deprehen-
 dunt. Certe ſi vitam & mortem Nobiliſſimi, Conſultiſſimi ac Prudentiſſimi Viri,
 Domini D. Johannis Peilickii, in Conſiſtorio Electorali & Ducali Advocati Ordini-
 narii, in Urbe hac Senatoris & Ædilis conſideraverimus, Librum, Roſas pallentes, ac
 Horologium, præparationis ad beatam Analyſin quaſi monumenta a divina provi-
 dentia ipſi fuiſſe propoſita, inveniemus. Prodiit ille in hanc lucem in iſta civitate,
 die 1. Octobr. Anno M D C L. Patre Domino Wolfgango Peilickio, Senatore &
 Ædili meritiſſimo, Matre, Domina Anna Dorothea, Domini D. Johannis Bornii,
 JCTi celeberrimi, Profeſſoris Publici, in Curia Electorali & Ducali provinciali ſupre-
 ma Advocati Ordinarii, in Juridica Facultate Aſſeſſoris, & Canonici Numburgenſis
 filia. Qui Parentes filium hunc ſuum depurgatum Baptiſmi aqua in Templo Nicolai-
 tano ſupplicibus verbis DEO commendarunt, & non ſolum monitis exempliſq; vitæ
 ſuæ pietatem docuerunt, ſed etiam in Religionis Chriſtianæ fundamentis doctis que
 ſtudiis formandum privata Præceptorum dexteritati tradiderunt, quousq; Academica
 ſtudia utiliter inchoare poſſet. Hæc igitur aggreſſus D. Valentin. Alberti Philoſophiam,
 præcipue Politicam, Chriſtianum Fridericum Franckenſteinium, Historiarum Prof.
 Publ. & L. Ottonem Menckenium, Prof. Moralium Publ. hiftoriam legentes ſedulo
 audivit, Jurisprudentiam ex fideli inſtitutione Avunculi ſui chariſſimi, Dn. D. Henrici
 Bornii, JCTi eximii. in Judicio provinciali ſupremo, & Scabinatu Aſſeſſoris, in Senatu
 Civitatis Proconſulis hauſit univerſam, & tam in Collegiis quam alibi, quoties occaſio
 ferret, diſputando ſe exercuit. Conſcripſit inſuper Diſputationem ad tit. ff.
Naut. Caup. St. ab. &c. quam deinde menſe Januario An. M D CLXXVI. in Uni-
 verſitate Tubingenſi, præſidente JCTo longe celeberrimo, D. Wolfgango Lauter-
 bachio, Reſpondens publice defendit. Poſtea diſputationem inauguralem de Admi-
 niſtratione Adventitorum legitima elaboravit, eamque menſe Septembri eodem
 Anno in publica panegyri habuit. Nunc animo agitabat iter in regiones exterarum ſuſci-
 pere: verum Pater ſenex, annuente Matre, revocans domum fecit, ut intermitteret.
 Reverſus in patriam cauſas forenſes agere cœpit, & d. 5. Febr. An. M DC LXXXI.
 Doctoris titulum, cujus rite impetrandi cauſa, diſputationem inauguralem illam, ante
 quinque fere annos præmiſerat, aſſumſit. Mox Menſe Martio Advocaturam ordina-
 riam in Conſiſtorio Eccleſiaſtico a Sereniſſimo Electore petiit & impetravit. Anno
 M DC LXXXV. Virginem florentiſſimam Sabinam Elifabetham, Dn. D. Johannis
Chriſtophori Jägeri, Curia provincialis Supremæ & Scabinatus Aſſeſſoris quondam
 unicam

unicam filiam sibi despondit, & d. III. Martii solenni ritu copulatam amplexus est. Ex qua suavissima conjuge suscepit liberos quinque, filios tres, & duas filias, Johannem Heinricum, Johannem Christophorum, Johannam Sophiam, Johannam Dorotheam, Johannem Gottfried: ex quo rosato domestico tenellulas rosas, tres filiolos mors abrupit. Anno XCVII. d. VIII. Junii dulcissima conjuge defuncta, veluti rosario exciso, viduus factus est. In quo statu, quia sine detrimento rei familiaris manere non poterat, An. XCIX. d. XVII. Octobr. secundis nuptiis sibi adjunxit corpore animoque pulchram Virginem, Johannam Reginam, Dn. Johanne Bertholdo, Mercatore, & Ordinis sui Magistro natam. Cum qua jucundum, sed breve admodum conjugium fuit. Nam & hanc, cum puellam, Johannam Reginam, d. VII. Decembr. An. M DCC. enixa esset, mox amisit; atque ita altero rosario æstimatissimo se orbatum tristissimus viduus vidit. Ut reliquas vitæ functiones attingamus Anno LXXXIX. sine ambitu, libere suffragantibus Collegis in Senatum cooptatus est. Anno sequente ad Reditus Provinciales recipiendos ex parte Senatus deputatus fuit. Anno XCII & M DCCI. redivus Civitatis præfuit. An. CCIII. Ædilis factus est, Prætorio Urbis, Judicio Rurali & Mercatorio, Officio Tutorio aliquoties assedit. In omnibus Viri industrii, integri, justi & æqui partes implevit. Nec Officio Christiani Hominis ulla in parte defuit. Pauperibus beneficium, in primis Scholæ Thomanæ liberalem se præbuit. Congregationes ecclesiasticas frequentavit, peccata confessus ad sanctam Cœnam, igneo fidei robore, anno aliquoties accessit. Domi Librum DEI diligenter legens, recte vivendi beatoque moriendi rationem cognovit, & simplici animo observare studuit: adjunxit preces ad DEUM devotas. Ex quibus animum viresque habuit afflictiones multas & graves, ex mortibus conjugum, liberorum, morbisque magnis suis & diuturnis patienter sufferendi. Nam a pueritia infirma fuit valetudine. Ante biennium vero tussi, excretionibus, virium defectu laboravit. Quibus malis præterita hieme ingravescentibus difficulter spiravit, & domo ad negotia sua expediunda raro egredi valuit. Itaque phthisi & Hæctica corpus debilitante tribus mensibus domi manere, ac in lecto sæpe recumbere ipsum oportuit. Superveniens tandem febris vires ita consumpsit, ut d. XXI. Augusti, hora XII. meridiana, postquam prius ad discessum ex hac vita efficacissimo viatico se refocillasset, inter preces beate vitam poneret bene actam LIII. annis IX. mensibus XII. diebus. Quæ ante diximus Nostrum habuisse Mortis monumenta, nunc facile cognoscimus, Librum DEI, a Senioribus, Mose, Prophetis, & Apostolis Christi nobis oblatum, ex quo vitæ moriendique rationem quotidie legit, & observare studuit: Rosas pallentes, Liberos defunctos, ac ipsa rosaria excisa, Conjuges, quæ cum quotidie menti obversarentur, mortalitatis meditationem conservabant: denique Horologii instar erant morbi, quorum gravitatem singulis diebus sentiens, quemque ultimum diem, quamque ultimam horam vitæ suæ paratus expectabat. Nos, Cives Academici, Viri honoratissimi exequias frequentando ultimum officium humanitatis præstemus, utilissimam ultima cogitandi occasionem habituri. P. P. Dominica XIV. Trinitatis, die XXIV. Augusti Anno Christiano 1704 ccciv.

Literis ZSCHAUIANIS.